Sarznicki Christophori: Quaestio physica de corpore physico. –

A.M.D.G.B.V.M.H.D.

# QVÆSTIO PHYSICA.

## De Corpore Physico.

*Publico Certamini*

*IN*

Alma Academia Cracouiensi.

*A*

M. CHRISTOPHORO PARZNICKI RADOMIO

EXPOSITA.

In Magnâ D. Iagellonis Aulâ. Lectorio DD. Theologorum.

*Permissu*

M. D. RECTORIS.

Anno Dñi Nostri Iesu Christi Nati M. DC. L.
Mense Ianuario Die 25.

ii.

# In Stemma
## Perillustris Domini.





Gnieuisij pridem celebri præ Stemmate vernat
  Liligero ternus quàm benè flore gradus.
Concolor ætati flos, cana fidesque virescit,
  Tum pietas, candor, perpetuusque decor.
Optima spes vitæ diuorum munere sistet,
  Continuique fluent prosperitate dies.
Magne Pater credo marcent Tua lilia nunquam:
  Candidus vt vitæ derigat illa vigor.

*Perillustri & Admodum Reuerendo Dño,*

# D. ALBERTO GNIEWISZ,

## Præposito & Officiali Radomiensi, Decano Volboriensi, Parocho Carnocinensi.

*Domino & Mecænati Amplissimo.*

*QVæstionem ex penetralibus Philosophiæ Naturalis depromptam. Tuo Nomini dedico Perillustris & A. R. Dñe, facio verò id alacriùs, quò certiùs spero illam magis fore conspicuam, si Tuis sub auspicijs in publico teratur. Disputanda venit inter laureatos omnium facultatum Doctores, & Professores, spectante Almæ Academiæ Cracou. corona; vbi Tu retroactis sæculis lauream in Philosophia es consecutus. Excerpta est ex secretioribus Speculatiuæ Scientiæ arcanis, cuius Tuo in pectore plurima supellex recondita est. De corpore Naturali in ea pro ingenij viribus disquisitionem facio. Tu mihi à primâ sanè ætate fuisti author, vt arctissimo nexu studia Philosophica, cum*

ſtudijs humanitatis coniungerem. Ac quemadmodùm Tibi volupe eſt, in hac veneranda ætate lucubrationum in ſtatione Academica meminiſſe: ita mihi Tuæ dignitatis in Aula D. Jagellonis inclyta, publicam propagare memoriam, eſt deſideratiſſimum. Non ideò ſolùm, quia opella præſens ſplendore Tuarum virtutum ambit colluſtrari; at vt meæ in Te debitæ obſeruantiæ quale quale exſtet argumentum. Et ſanè imprudens ego, ne dicam ingratus forem, ſi Harpocratis quaſi quædam ſtatua ſilentio Te, id eſt, Tuam humanitatem, beneficentiam, vitæ integritatem, prudentiam, conſtantiam, totque virtutes, & facta Tua heroica venerarer. Et quanquam Tu non libenter audis Tuorum honeſtè factorum deprædicationem vllam, mihi tamen imperare nequaquam poſſum, quominùs aliquid obſtrepam, in Tuarum virtutum defixus admiratione. Seruiat Tibi vel ideò, vnica hæc & altera vocula mea, quia quaſi lucerna Dei in candelabro eminenti, illo in nido, in quo ego natus, & educatus ſum, vitæ innocentia, morum ſanctimonia, ſolida rerum diuinarum & humanarum notitia, luces, & præluces vniuerſis. Quanta ſit Tua ſolicitudo in cura, & adminiſtratione negotiorum officij Tui? quo virtus Tua, ab ampliſſimis Antiſtitibus cohoneſtatur, &

illu-

*illustratur, quæ æquitas in reddendo vnicuiq; quod suum est? qui zelus in cultu diuino amplificando, & tenellis animis implantando? quod studium, atq; pietas in Ecclesia ornanda, picturis elegantibus, & supellectili variâ affabrefacta? quæ beneficentia in eos, qui literis dediti sunt in florentissima Vniuersitate nostra Cracou: meos populares, sera Tua post fata Radomia, cum adiacentibus oris, Tui Radomienses, quin & D. Joannes Cantius sydus lucidissimum, & D. Tutelaris omnium Academicorũ, in hoc orbe Poloniarum non patientur facilè inueterascere. Ego verò non sinam nec patiar, famam Tuorum meritorum, ad Te ampliùs & ampliùs propensum literis, & rebus literarijs reddendum, meo in pectore obliterari. Accipe itaq; animi mei in Te propensi; istud quale, meus genius parturire potuit, quod Tibi cum honore debito, immò verò meipsum do & dedico, non tàm coloribus Oratorijs, quàm debitâ veneratione inumbratum, monumentum.*

*Perillustris & Adm. R. D. V.*
*Cliens & seruus humillimus*

*M. Christophorus Parznicki,*
*Radomius Phil. Doct. & Prof.*

# QVÆSTIO

V. Corpus Phyſicum ad ſui compoſitionem præter internas cauſas, externas quoq; ſibi vendicans, includat in ſe elementa virtualiter ita: vt ſubiiciatur mutationibus non tantùm ſubſtantialibus, verùm etiam accidentalibus, atq; reſoluatur vſq; in materiam primam, Necne?

CON-

## CONCLVSIO I.

Corpus phyſicum compoſitum includit in ſe cauſas internas, Materiam, ſcilicet & Formam.

### COROLLARIA.

I.

*Quamuis autem duo ſint Corporis naturalis prædicta principia in facto eſſe; in fieri tamen datur & priuatio.*

II.

*Materia rectè dicitur pura potentia, forma verò eſſentialis actus.*

III.

*Materia nulla ratione poteſt exiſtere ſine omni forma.*

IV.

*Non ſola forma, ſed etiam materia, ſpectat ad quiditatem corporis naturalis.*

V.

*Præter eſſentiales partes, dantur etiam integrantes, componentes corpus naturale.*

CON-

## CONCLVSIO II.

Corpus naturale præter internas, habet quoq; externas cauſas, Efficientem nimirum, & Finalem.

### COROLLARIA.

I.

*Ex cauſis efficientibus, alia eſt vniuoca, alia æquiuoca.*

II.

*Cauſa efficiens vniuoca eſt eiuſdem ſpeciei, & perfectionis eſſentialis, cum ſuo effectu.*

III.

*Non item cauſa æquiuoca, quæ nobilior eſt ſuo effectu.*

IV.

*Res naturalis propter certum finem, atque ſcopum præfixum fit, qui primario ſemper intenditur.*

V.

*Cauſa tamen efficiens magis realiter influit in effectum, quàm finis, qui mouet tantùm agens ad agendum.*

CON-

## CONCLVSIO III.

Corpus physicum constat quatuor elementis, igne scilicet, aëre, aqua, & terra.

### COROLLARIA.

I.

*Ens naturale continet in se elementa virtualiter, & non formaliter.*

II.

*Ad rationem elementi in misto sufficit, quod ex illo res componatur virtualiter.*

III.

*Mistum resoluitur in elementa, tanquam in partes quæ fuerunt in potentia proximâ.*

IV.

*Qualitates non sunt eædem numero in misto, quæ fuerunt in elementis.*

V.

*Ex qualitatibus in misto, non fit vna qualitas, sed sufficit sola proportio.*

## CONCLVSIO IV.

Corpus naturale ſubiectum eſt mutationibus tam ſubſtantialibus, quàm accidentalibus.

### COROLLARIA.

I.

*Generatio & Corruptio, ſubſtantiam intrinſecè mutant.*

II.

*Generatio primariò intenditur à natura, Corruptio verò ſecundariò.*

III.

*Quidquid generatur, ſemper ex corrupto generatur.*

IV.

*Reliquæ ſpecies motus, extrinſecè ſe habent ad id quod afficiunt.*

V.

*Alteratio ſecundùm qualitates contrarias mutat ſubſtantiam, augmentatio & diminutio ſecundùm quantitatem, loci mutatio ſecundùm locum.*

CON-

# CONCLVSIO V.

## In corruptione naturali, fit resolutio vsquè ad materiam primam.

### COROLLARIA.

I.

*Materia prima vocatur subiectum primum, & radix corruptionis in corpore naturali.*

II.

*Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis per se, licèt corrumpatur peraccidens.*

III.

*In corruptione rei naturalis, nulla forma substantialis manet, aut aliquod accidens corrupti in genito idem numero, sed tantùm specie.*

IV.

*Corruptio per se aut est elementi, aut mixti, tertium non datur secundùm Physicos.*

V.

*Res naturalis ex quo componitur, in idem semper resoluitur.*

Sub Felicibus Auſpicijs

*Magnifici, Clariſsimi, & Adm. Rndi. Dni.*

# D. STANISLAI ROZYCKI,

## I. V. Doctoris & Profeſſoris.

Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Cancellarij, & Studij Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis

GENERALIS RECTORIS.